Meis.

Deiimanensitas



BREVIS EXPLICATIO
Verſ. 27. I. Reg. IIX.,

ex quo

contra Benedictum Spinoſam, qui extenſionem, proprietatem divinam, ſive Deum eſſe rem extenſam, in Ethica ſua parte II. propoſ. II. ſtatuit,

DEI IMMENSITAS

probatur,

in

Gymnaſio Saxo-Hennebergico,

quod Siluſiæ eſt,

ad diem 17. Septembr. A. MDCCX.

horis locoque conſuetis

publicæ disquiſitioni ſubjicitur

Præſide.

Friedrich Ernſt Meis, SS. Th. D.,

Reverendiſſimi Sereniſſimiq; Ducis Saxo-Numburgici Conſiliario Eccleſiaſtico, Superintendente & Paſtore, ut & Gymnaſii Ephoro.

Reſpondente

JOHANNE GOTTLOB SCHUBARTO,

Weigsdorfio-Luſato, Gymnaſii Alumno.

Typis G. W. Gœbelii, Ill. Gymnaſii Typographi.



Verba Hebraica sunt :

כי האמנם ישב אלהים על־הארץ הנה השמים ושמי השמים לא יכלכלוך אף כי־הבית הזה אשר בניתי :

Chald. Paraphr.

כי בקושטא אתרעי יי לאשראה שכינתיה בנו בני אנשא דדירין על ארעא הא שמיא ושמי שמיא לא יכלון לסוברא יקרך אף אלהן ביתיה הדין דבניתי :

LXX.

Ὅτι εἰ ἀληθῶς κατοικήσει ὁ Θεὸς μετὰ ἀνθρώπων ἐπὶ τῆς γῆς; εἰ ὁ οὐρανὸς καὶ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ οὐκ ἀρκέσουσί σοι, πλὴν καὶ ὁ οἶκος οὗτος, ὃν ᾠκοδόμησα τῷ ὀνόματί σου.

B. Sebast. Schmid.

Num enim revera habitabit Deus super terra? En! cœli & cœli cœlorum non comprehendunt te: multo minus domus hæc, quam ædificavi.

B. Luther.


Denn meinest du auch / daß GOtt auf Erden wohne? Siehe / der Himmel und aller Himmel Himmel mögen dich nicht versorgen / wie solts denn diß Haus thun / das ich gebauet habe?

Versio Tigurina:

Dann sölte GOtt auf Erden wonen? Siehe / der Himmel und aller Himmlen Himmel mögend dich nit verschließen / noch begreiffen: wie solts dann diß Haus thün / das ich gebauen hab?

Piscator:

Wiewol / solte GOtt warhafftig auf Erden wohnen? Siehe / der Himmel / und (zwar) der höchste Himmel / mag dich nicht faßen / vielweniger wirds diß Haus thun / das ich gebauet habe.



§. I.

IN hoc capite IIX. agitur tum de traducta Arca in ædem à Salomone recenter ædificatam, v. 1. - 9., tum de Nebula post illatam in Sanctum sanctorum Arcam Domum implente, quam impletionem Salomo signum gratiosæ Dei præsentiæ habebat, v. 10. - 14., & ideo fixis humi genibus longam instituebat orationem, in qua partim Deo pro hac gratia gratias agebat, partim orabat, ut Deus promissa impleret, precesque eum in finem, ut mala averterentur, & bona impetrarentur fundendas exaudiret, v. 15. - 54.; Dum vero Salomo petit precum exauditionem, quæ in Templo coram Deo forent effundendæ, per Occupationem v. 27., quæ merito Parenthesi includitur; nam facta hac Parenthesi optime cohærebunt antecedentia & consequentia, hoc modo: *Et nunc Deus Israel, verificetur, quæso, verbum tuum, quod locutus es servo tuo, Davidi, Patri meo*, v. 26., *& respice preces servi tui* &c. *ut sint oculi tui aperti*, v. 28., subjungit, quod quidem immensa Dei Majestas nullis spatiis possit definiri, neque ita arctis Sacrarii angustiis, adeo, ut mera sit gratia, si Deus Templo huic singulari modo sit præsens, precesque in eo ad Ipsum directas exaudiat, cùm Deus neque Jerusalem, neque Templo hoc, utpote habitaculo suo necesse habeat. Agitur ergo in textu nostro de Majestatis divinæ immensitate, quam nulla loci capere potest amplitudo, uti neque terra, neque cœlum, ita multo minus angusta hæc domus; Nam Salomo hunc in modum à majori ad minus argumentaturus est: *Si maxima locorum amplitudo, qua-*

lis est terræ & cœli, Majestatem divinam capere nequit, sequitur, *ut multo minus minima amplitudo, qualis est hujus domi, id facere queat.* Atqui *prius est verum*, ergo & *posterius*. Prætermissa Consequentia Majoris Propositionis habetur in textu nostro subsumtio, scilicet prius & posterius, quorum loco merito terminos *Antecedens* & *Consequens* substituimus.

§. II. Secundum Analysin Logicam *tum* Antecedens, *tum* Consequens resolvendum erit; Ad illud quod spectat, duabus hoc absolvitur propositionibus, quarum altera est: *Deus non habitat in terra*, quæ in partes propositionis Logicæ resolvitur, nim. *Subjectum, prædicatum*, & *modum prædicandi.*

§. III. Cùmque particula connectendi כי inveniatur, hujus omnino etiam ratio est habenda: Potest autem explicari per *quamvis, quanquam*, uti hæc vox in aliis Scripturæ locis accipitur, Gen. 8, 21. 2. Sam. 2, 7. Jer. 4, 30. In qua sententia sunt non tantum Piscator, sicuti ex versione ipsius videre licet, sed & B. Noldius in Concordant. partic. Hebraic. p. m. 399., & alii, ut sensus verborum sit hic: *Quamvis certissimum sit, quod Deus in terra non habitet, neque hac, habitaculo suo opus habeat, & sic soli divinæ gratiæ sit adscribendum, quod in templo habitet; certe gratiosa est habitatio sive præsentia.* Ex versione B. Lutheri & Sebast. Schmidii, quibus alii adstipulantur, constat, hos particulam כי vertisse per conjunctionem causalem, ut sensus sit: *Certissimum enim est, quod Deus in terra non habitet, tantum abest, ut hac necesse habeat, ut mera sit gratia, si Deus eam præsentia sua dignetur, quam gratiam maximopere petit atque rogat Salomo, quod* scil. *pertinet ad templum in terra ædificatum.* Hæc mens priori non est contraria, sed utraque optime simul stare posse, & res eodem recidere videtur, an particula כי per *quamvis*, an per *nam* reddatur; Nisi velimus dicere, quod posterior sensum faciat planiorem, & vocabulum כי in sensu sumat famosiori, licet quis de priori dicere queat, eam magis schematice, & sic ἐμφατικωτέρως rem eloqui.

§. IV. In resolutione alterius propositionis, quæ per Interrogationem Rhetoricam effertur, §. 2. tradita, attendendum est

primo loco *subjectum*, quod est Deus, qui describitur *tum* à natura sua, ad quam pertinet Majestas, cui nemo neque in cœlo, neque in terra par est, v. 23. 24., veracitas, dum promissa servat, v. 24., omniscientia, v. 39.; Ipse enim corda hominum scrutatur & cognoscit; *tum* à gratiosa sua voluntate, quæ elucet ex promissionibus, v. 23., & earundem impletione, v. 25. Et quidem Deus innuitur unitrinus, quia אלהים jungitur verbo singulari, quæ Constructio sensum manifestat distributivum hoc modo: Num persona quædam divina, Pater, Filius, Spiritus Sanctus habitat in terrá? i. e. nulla è tribus Deitatis personis, neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, sed sicuti quælibet persona ejusdem est majestatis & gloriæ, & tanta majestas Patris est, ut nulla spatiorum etiam maximorum amplitudine, quanta, quanta ea sit, capi possit; Ita quoque Filii & Spiritus Sancti.

§. 5. Secundo loco perpendendum est prædicatum, quod h. l. negatur de subjecto, & est *habitare in* vel *super terra*. ישב generatim & proprie significat *commorari*, *sedem figere*, *habitare*, uti de Abrahamo Gen. 13, 12. dicitur, quod sedem fixerit, habitaritque in Canaan; & de Loth, quod Sodomæ commoratus fuerit, Gen. 19, 29.; Speciatim significat, *cum certo corporis situ manere*, h. e. *sedere*, sicuti de Salomone dicitur, eum sedisse in throno, 1. Reg. 2, 12., sedere, ut Secretarii, Consiliarii aut judiciorum Assessores, Ps. 101, 6., quiete & tranquille in loco aliquo sedere, & permanere, Ps. 9, 8., summa felicitate in loco frui, Ps. 37, 27., dominari, regnare, gubernare, Exod. 11, 5. c. 18, 13. 14., adesse cum gratiosa operatione, ita, ut quis alterum regat, protegat, tueatur, Ps. 29, 10. De Deo hoc vocabulum usurpatum significat vel præsentiam divinam universalem, quæ tamen nunquam sine operatione est, Ps. 9, 5., vel præsentiam Dei specialem & gratiosam, Esaiæ 37, 16. Ps. 80, 2. Quando igitur h. l. de Deo negatur, eum habitare super terra, non sermo est, vel de præsentia Dei universali, qua Deus non solum infinita sua adessentia cœlum & terram replet, verum etiam conservatione & divina sua providentia

eadem

eadem implet, ut vi hujus impletionis in ipso vivamus, moveamur & simus, Actor. 17, 28.; Nam universalem hanc præsentiam de Deo negare, idem esset, ac divinam Essentiam destruere. & Spiritui Sancto, qui clarissimis locis omnipræsentiam adstruit, in os contradicere; Vel de speciali & gratiosa, juxta quam Deus in piis habitat, & longe est ab impiis, vi cujus Deus arctius sanctis, templis suis, inhabitat, benigneque apud ipsos operatur in beneficiorum spiritualium collatione; Gratiosam enim hanc præsentiam Salomo v. 12. sibi expetit, adeoque hoc versu 27. eandem, nisi absurdus esse velit, negare nequit. Ergo sensus verborum non est hic: Deus non habitat in terra, ut illi sit ubique præsens, eandem conservet, regat & gubernet; Neque hoc vult dicere Salomo: Deus neutiquam habitat super terra, ut piis gratiose sit præsens, inque iis omnia bona operetur; sed tum de præsentia locali & circumscriptiva, quæ expansionem, diffusionem, commixtionem & localem inclusionem infert, qua præsentia homo præsens esse dicitur, quo respexisse videntur LXX., addentes: μετὰ ἀνθρώπων; tum definitiva, ut possim definire, quod quis hic sit, v. gr. in terra, non autem alibi, qua præsentia gaudent Angeli. Utramque præsentiam negat Salomo de Deo, ipsique habitare super terra dicitur, idem ac terræ ita præsens esse, ut ea sit instar domus vel domicilii, in quo Deus commoretur, fixam habeat sedem, illaque domo includatur, & nullibi etiam præsens sit, quam in terra, ut hæc divinam Majestatem capiat, sicuti homo in certo & reali aliquo loco commorari dicitur; Hic enim in domo sua commorans & sedens, in alia domo esse prorsus non potest. Additur vocabulum אמנם revera; Nam non sermo est de apparenti aliqua præsentia, sed de vera & reali. Sic quando Filius Dei in visibili & humana περιστατικῶς assumta forma Abrahamo, Loth & aliis apparebat, tunc videbatur Majestas filii Dei, quæ utique immensa quoque est, importatque ubietatem interminabilem, qua non potest non essentia sua ubique esse, tantum adesse in domo Abrahami, vel Lothi, vel aliorum, alibi autem non,

sed

sed huic domui inclusa, enimvero videbatur tantum talis præsentia, revera talis non erat. Includebatur quidem Filius Dei, quod attinet ad assumtam formam, non ad divinam Majestatem. H. l. quæstio est de præsentia revera tali, ratione immensæ Dei Majestatis, non assumtæ alicujus visibilis humanæ formæ, hoc sensu: Num Deus, immensa Dei essentia, in se ipsa & ratione sui ipsius, non externæ assumtæ formæ considerata, in terra revera, non apparenter in assumta humana forma, habitabit? Adductus sensus elicitur, & colligitur ex sequentibus verbis; Uti de cœlis dicitur, quod majestatem non capiant, ita de terra; Jam cœli non capiunt Majestatem divinam, ut sint domicilium, sive locus, in quo Deus solùm, & non simul ubique præsens sit, eundem in modum Deus in terra habitare negatur.

§. VI. Modus prædicandi tertio loco est considerandus, qui est negativus, quem infert interrogatio per ה interrogativum facta, quæ hoc modo absolute negare solet hoc sensu: Deus plane non habitat in terra hoc modo, ut hujus spatiis includatur, neque alibi vel ubique præsens sit. Fortius igitur Salomo prædicatum de Subjecto negat, quàm si nude hæc posuisset verba: *Quamvis Deus revera non habitet in terra.* Deinde, quia futurum ponitur, ita negat Salomo, ut excludat omne tempus, hoc sensu: Deus non in terra habitavit, neque habitat, neque habitabit, ut tantum in ea præsens sit, neque simul adsit ubique.

§. VII. *Altera* propositio, quæ prioris causa hoc sensu censeri potest: Terra non capit divinam Majestatem; Nam ecce cœli, utpote multo vastius corpus, id non faciunt, & per ἐπανόρθωσιν priori annectitur, id quod ex particula *en*, vel *ecce*, cognoscitur, in has resolvitur circumstantias: (α) *quis*, (β) *quid*, & (γ) *quomodo* non comprehendat?

§. VIII. Circumstantiam *quis* constituunt verba, השמים ושמי השמים, cœlum & cœli cœlorum. Cœlum vel est *naturale*, vel *supernaturale*. Illud vel est *aëreum*, i. est aër cœlum

ambi-

ambiens; vel *sydereum*, sive *æthereum*, quod est cœleste corpus elementa claudens & ambiens, Gen. 1, 15.; Hoc, scil. supernaturale, vocatur (*a*) cœlum *majestaticum*, i. e. divina gloria & infinita majestas, quo sensu passim dicitur Deus esse in cœlis, cœlum Dei sedes, Ps. 123, 1., Dei sella, Jes. 66, 1., Dei habitaculum, Devt. 26, 15.; (*b*) *status beatorum cœlestis*, Matth. 18, 10.; (*c*) *πȣ̃ beatorum Angelorum & animarum*, quod cœlum etiam Christus ingressus est, verum quale & ubi illud sit habitaculum, ignoramus. Scholastici hoc Empyreum appellant, & depingunt, quod supra omnes cœlos stellatos sit positum, spatiosissimum, lucidissimum, & localibus mansionibus distinctum, tantæ altitudinis, ut statuant, lapidem molarem vix 74. annorum spatio inde delabi posse, cui sententiæ favet & consentit Danæus, dicens, quod Christus homo, ut rex, in augustissima regni sui arce, amplissima domo, palatio & aula habitet, & libere, si velit, cum Angelis & beatis Spiritibus spatietur, vid. ejusdem Respons. ad Laun. Spong. in Oper. p. 1513., quod cœlum B. Lutherus vocitat den Gauckel-Himmel; (*d*) *ipsi sancti in cœlis*, Job. 15, 15. Cùm igitur h. l. cœli à cœlis cœlorum, & vicissim hi ab illis distinguuntur, id quod etiam in aliis Scripturæ locis fieri solet, Devt. 10, 14., 2. Paral. 2, 5., c. 6, 18., non una interpretum est sententia. Ut de cœlis cœlorum primùm dicamus, Munsterus in Ps. 148, 4. affert hæc, quæ & Clarius in eundem Psalmum adducit: *Sunt apud Hebræos, qui per cœlos cœlorum intelligunt:* השמים אשר תחת השמים, i. e. *cœlos, qui sunt sub cœlis*, h. e. *regionem ignis & aëris*. Contra Drusius cum Grotio in caput 10. Devteron. v. 14., per cœlos cœlorum innui statuit supremum cœlum supra aërem, ætheremque cœlum tertium, sedem Angelorum & divinæ Majestatis; Verba citati Drusii in Devteron. c. 10, 14. sunt hæc: *Tres cœli memorantur in divinis libris, aëreum, quod omnes tres regiones aëris comprehendit, quorum infimus proprie cœlum vocatur*, i. e. *samaim, quoniam est inter aquas inferiores & superiores. 2. Sidereum* sive *stelliferum cœlum est illud, in quod sunt sidera vel stellæ. Tertium cœlum, in quod raptus fuit Apostolus noster, est, quod hîc vocat cœlum cœli.* Hoc Gaspar.

San-

Sanctius in locum nostrum empyreum nominat: *Ad hunc modum*, dicens, *cœli cœlorum, aut cœlum cœlorum illud dicitur cœlum, quod summum & splendidissimum est, aut certe quod alios cœlos suo complexu continet, & quodammodo fovet. Hoc vero cœlum summum est & empyreum, quod ut inferiores cœlos ambit & continet, sic etiam necesse est, ut alia omnia, sive cœlestia, sive elementaria corpora infinitis prope spatiis antecellat. De illo sane cœlo, in quo Dei est stabilis & magis nota sedes, loquebatur David* Ps. 67. v. 36. B. Gejerus in Ps. 148, 14. cœlos cœlorum explicat per altissimos cœlos, uti & Vinarienses in locum nostrum, & Devter. 10, 14. per allerhöchster Himmel; Nam cœli cœlorum juxta idiotismum Linguæ sanctæ dicuntur, qui præstantia, magnitudine & altitudine alios antecellunt, sicque est cœlum altissimum & summum, sicuti sancta sanctorum, i. e. locus omnium sanctissimus, vanitas vanitatum, i. e. summa vanitas. Inde Vatablus in locum nostratem hæc commentatur: *Per cœlum intelligitur totum hoc spatium, quod nobis apparet, usque ad sphæram Lunæ, per cœlos cœlorum totus ambitus firmamenti. Atque hoc ad notandam summam altitudinem additur, vel immensitatem, quæ supra primam superficiem eminet.* Ut mentem nostram aperiamus, dicimus, h. l. non locum invenire sententiam, quæ per cœlos cœlorum intelligit cœlum aëreum, nam oratio augetur, & ἀνάβασις instituitur, ita, ut posterius semper plus indicet, quam prius; Nam ἀνάβασις est, cùm per gradus ab infimis ad summa imus. Primum dixerat Salomo de terra, quod ea Majestatem divinam non capiat, deinde de cœlo, & cœlis cœlorum ipsi sermo est; Vi autem ἀναβάσεως Salomo primo loco non poterat loqui de cœlo æthereo, quippe quod spatiis & amplitudine aëreum multo superat, sed ipsum oportebat primum loqui de cœlo aëreo, deinde æthereo, aliàs inconveniens sermonis fieret incrementum, h. m. Terra non capit majestatem, summum & amplissimum corpus, cœlum æthereum eam non capit, cœlum aëreum, quod tam vastum & amplum non est, quàm æthereum, illam non capit. Qualis hæc esset ἀνάβασις? certè incommoda & absurda; Neque locus relinqui potest huic

ſententiæ, quæ cœlum cœlorum explicat de cœlo beatorum, vel cœlo empyreo, quod non datur, illud autem incognitum eſt; Salomo enim loquitur de corporibus, quæ à nobis conſpici poſſunt, & in ſenſus noſtros incurrunt, affirmatque nullum horum, neque vaſtiſſimum, majeſtatem divinam capere. In probanda hac propoſitione terram, corpus nobis viſibile, & cœlum ratione vaſtitatis & amplitudinis invicem confert, atque ſic de alio cœlo haut loquitur, quàm nobis viſibili, id quod neque de cœlo beatorum, neque empyreo dici poteſt. Adſtipulamur ergo illi ſententiæ, quæ per cœlos cœlorum intelligit cœlos altiſſimos, & ſic firmamentum cœli, ſive cœlum æthereum, & per cœlum, aëreum, quæ ſententia eſt ſimpliciſſima & certiſſima.

§. IX. Circumſtantia *quid* continetur in ſuffixo ךָ te, & innuitur DEUS, qui §. IV. ſecundum contextum deſcriptus eſt.

§. X. Circumſtantia *quomodo* his abſolvitur vocabulis: הִנֵּה לֹא יְכַלְכְּלוּךָ, en! non comprehendunt te. Verbum quadratum כלכל ponitur, quod ſignificat, ſuſtinuit, ſuſtentavit, cepit, continuit, à radice כּוּל, menſuravit, comprehendit, Lutherus vertit: verſorgen / ſicuti in aliis Scripturæ locis 1. Reg. 4, 7., c. 17, 4., c. 20, 27., ut hoc modo ſenſus ſit: Non ſufficient cœli, ut in illis habitaculum Dei tanta majeſtate dignum parari poſſit, quemadmodum dicitur: Parva oppida non ſufficiunt ſuis exiguis habitaculis pro regibus, mit den kleinen Hütten in den kleinen Städten kan man die Könige nicht gnugſam verſehen und verſorgen / vid. B. Frantz. de Interpret. Scripturæ Orac. 125. p. 780. ſeqq., ad hanc ſignificationem Lutherus reſpicit, & juxta hanc mentem Salomo hoc dicere vult: Cœlum, habitaculum Dei, partim tanta majeſtate indignum, partim nimis anguſtum eſt, i. e. cœli tantam Majeſtatem ferre neque ſufficienter digni ſunt, neque eam amplitudine ſua capere poſſunt, vel Majeſtatem divinam cœlis includere indignum & impoſſibile eſt; Negatur autem de Deo comprehenſio non tantum circumſcriptiva, ſicuti corpora certus locus

com-

comprehendit, ibique illa includuntur, & extremitatibus suis circumscribuntur, sed & definitiva, qua possum dicere, subjectum aliquod esse hic & non alibi, i. e. cœli non sufficiunt ad capiendam immensam Dei Majestatem, ut Deus his præsens sit, & non simul omnibus spatiis, ubicunque talia sunt, ad utramque comprehensionem respexit, versio Tigurina, vocibus verschliessen/ begreiffen. Negatur ejusmodi comprehensio divinæ Majestatis simpliciter & certissimè per vocem הנה, i. e. certò, omnino, cœli prorsus non comprehendunt, neque unquam comprehenderunt, neque comprehendent, nam verbum futurum actum indicat continuum, id quod admirandum, non autem scrutandum, neque intellectu nostro comprehendendum est, sicuti vox En! hoc requirit, & in aliis Scripturæ locis hunc significatum obtinet, Es. 7, 14., Ps. 134, 1.


§. XI. *Consequens* est: Multo minus domus hæc, quam ædificavi, sufficit, i. e. terra & cœlis indignior & angustior est, ut divina Majestas ibi habitet, uti homo in domo quadam. In Consequenti hoc ad duas iterum circumstantias respectus est habendus, nim. *quid* & *quomodo*. Circumstantia *quid* latet in vocibus: הבית הזה, eadem hæc domus, eadem, quam ædificavi, digitis ad templum recens extructum Salomo intendit, quod quidem erat splendidissimum & pretiosissimum; Nulli enim labori, nullique sumtui, uti ex ipsa descriptione patet, Salomo pepercerat, id quod ex secundi templi ædificatione colligere licet, nam Judæi ex captivitate Babylonica reduces in maximum conjiciebantur mœrorem, quod posterius hoc templum neque pretiositate, neque splendore suo priori esset simile. Dicata & consecrata erat hæc domus divino nomini, in gloriam divinam, ut Deus gratiose illi adesset, v. 13. 19. seqq. Circumstantiam *quomodo* complectuntur duæ hæ particulæ אף כי, multo minus. *Interdum* quidem hæ particulæ significant quanto magis, 1. Sam. 14, 30., 2. Sam. 4, 11., *interdum* quanto minus, Ezech. 15, 5., Prov. 17, 7.; Nam in collatione rerum affirmativa valet quanto magis, in negativa, uti h. l., quanto minus, vid. B. Glass. Philol. S. L. 3. tract. 7. c. 4.

p. m. 591. Sensus igitur est: Si tanta spatia non sufficiunt, ut majestatem tuam comprehendant, veluti id probatum & explicatum est, multo minus angusta & exilis hæc domus, consequenterque gratiæ tuæ solum adscribendum est, si huic domui sis præsens, & quidem gratiosa tua præsentia. Quando igitur Salomo v. 13. dicit: *Ædificando ædificavi domum habitationis Tibi; sedem, in qua habites per secula*; sensus non est hic, quod hæc domus Deo talis sit habitatio, qualis est homini, ac hoc modo Majestas divina eadem comprehendatur, ut nullibi Deus, quàm huic domui, sit præsens, neutiquam; nam hanc non esse Salomonis mentem, ex dicto nostro dilucide constat, adeoque verba accipienda sunt de habitatione gratiosa, i. e., ut domus hæc sit habitatio & sedes, vel ejusmodi locus, cui Deus gratia sua semper sit præsens.

§. XII. Atque sic firmiter contra Benedictum Spinosam colligitur, Deum non esse rem extensam, sicuti ipse in Ethica sua part. II. Propos. XI. docet, dicens: *Per corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit*; & prop. II. *Extensio attributum Dei est*; sive, *Deus est res extensa*; Nam secundum textum nostrum Deus est immensus, & immensitas hæc divina est ubietas interminabilis, vel simplex adessendi interminabilitas, ita, ut removeatur omnis expansio, diffusio, commixtio, & localis inclusio, conspiciaturque simplex adessentia in omnibus locis, absolute interminabilis. Juxta locum nostratem Deus in omnibus locis adest, non συνεκτῶς, ut comprehendatur, sed συνεκτικῶς, ut comprehendat loca omnia. Si itaque Deus esset res extensa, omnino expanderetur, diffunderetur, commisceretur, localiter includeretur, & comprehenderetur, quod expresse in textu nostro negatur. vid. B. Calov. tom. 2. System. Theol. c. 8. p. m. 380. seqq. Et hoc modo tota Dei essentia destrueretur, Deumque esse, sicuti in verbo suo sese revelavit, negaretur, quapropter dictus Spinosa merito inter atheos refertur.

Confer B. Kortholt de tribus impostoribus p. 177. seqq.

SOLI DEO GLORIA.



345531


UNIVERSITY OF CHICAGO
51 776 246